

cohaerent, externe vero periosteo carent, cuius locum lamina vitrea siue eburnea obtinet, ne dolor a calidis vel frigidis tam facile excitari, tamque acriter sentiri possit. Iam quod ad tempus, eruptioni dentium destinatum, attinet, id non satis certo definiri potest, cum natura in ea re non constantem regulam obseruare, sed pro diuersa corporum constitutione diuersam rationem sequi soleat. Siquidem in infantibus paullo robustioribus, atque in utero bene nutritis fieri videmus, vt dentes citius erumpant, nondum semestri post partum exacto, in debilioribus vero, bonaque nutritione destitutis, eruptionis initia aliquanto tardius eveniant. Dentes illi dicuntur vulgo primarii, quoniam sub iis alii latent absconditi, qui septimo et octauo demum anno, vel adeo serius erumpunt et secundariorum nomine plerumque insigniuntur. Omnes isti certo ordine adhibito, deinceps prodeunt, incisores et canini primum, postea maxillares, siue molares, tandem posteriores maxillares, quos consuetudo dentes sapientiae appellat, ita vt aetate prouectiori insequuta triginta duo numerentur. Quamquam vero experientia docet, hunc esse naturae in hac quidem re ordinem et veluti cursum, tamen interdum exempla in contrarium occurrunt, quae non videantur prorsus esse negligenda. Equidem ipse memini in puero, decem menses nato, in maxilla inferiori duo incisores apparere, in superiori autem caninos prius quam incisores erumpere, spatio pro his relicto.

Quodsi porro ipsam dentium structuram paullo curiosius perquirimus, haud pauca sane circa eam inuenimus, quae attentionem diligentissimam mereantur. Et enim illi ex duplici lamella componuntur, quarum interior plana, scabra et dura est, atque canales, in quibus